



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

**VD16 H 5888**

42. Quòd non est superbia contemplationi intendere, vt quidam existimant: quod exemplo ostenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

OSTENDIT EXEMPLO ESSE SVPER-  
*biam, vt quidam existimant, intende-  
 re contemplationi.*

## CAPVT XLII.

**N**Equè dicendum est secundum præfatum  
 Gersonem quantum ad secundam ratio-  
 nem antedictam, quòd qui contemplationis fi-  
 ni vacat quem superius exposui, hoc est ad sum-  
 me amandum Deum ex toto corde suo, iste ta-  
 lis nimis alte tendat, aut præsumptuosè agat.  
 quin potius si quis ad hoc captus est, & hanc à  
 Deo consecutus est gratiam, deficeret, & minus  
 benè ageret, prout videtur, si diuino munere  
 non vteretur: præsertim ecclesiastici & religio-  
 si, quorum vita ad hoc ordinatur potius quàm  
 ad actiuam. nam clericis maxime Theologis (si  
 quod isti dicunt verū esset) eorum scientia non  
 solum non prodesset, verum etiam multum  
 obesset, inde quippe efficerentur tumidi, vani,  
 vacui, & superbi. Vterius hoc patet ad oculum  
 per sequens exemplum: Erit in curia Regis ali-  
 quis coquinæ administrator, cui Rex talem lar-  
 gietur gratiam scilicet faciens eum suum ca-  
 merarium, quia iudicat eum ad hoc sufficien-  
 tem; sicq; placet Regi. nulli dubium, quòd si  
 prædictus minister hoc recusat ob suam desidi-  
 am, vel pusillanimitatem, aut voracitatem, di-  
 cens se potius in officio velle ministrare coqui-  
 næ, iste talis multum est reprehensibilis. Eo-  
 dem modo qui potest Deo in aliquo excellenti  
 statu seruire, & voluerit circa res minimas ver-  
 sari, neque humilitas eum excusabit; sed fictio-  
 ni &

ni & tempori cordis hoc imputabitur. Amplius dico quod deficiunt & errant qui in suis contemplationibus plus quàm oportet inquirere volunt: valde quippe est eis humilitas necessaria charitatis custos, & nutrix.

QUANTVM ACTIVOS CONTEMPLATIVI PRÆCELLUNT.

CAPVT XLIII.

Quantum ad tertiam rationem, quòd scilicet aliqui contemplativi falluntur & efficiuntur dementes, & melancholici, respondet prædictus Gerson, quòd eodem modo in vita activa multi decipiuntur, non habentes discretionem, quæ requiritur ad opus cœptum consumandum. Neque omnibus hæc gratia exhibetur scilicet intendere contemplationi certis de causis iam assignatis, quemadmodum ait Apostolus: Vnusquisque habet proprium donum à Deo: vnus sic, alius vero sic. Et iterum si in corpore omnia membra essent oculus, vbi manus, &c. Verum est tamen quòd homines mundani facillè iudicant contemplativos esse amantes, & melancholicos, quia non faciunt sicut & ipsi: nam omnia parvipendunt quæ illi nimis amant & magnipendunt. Sed non vident magnas consolationes & sancta opera, & spirituales diuitias quas acquirunt contemplativi mundum spernentes, & à se procul pellentes omnem auaritiam, iram, inuidiam, & vniuersam vanitatem. Quæ huius mundi amatoribus non modicam præstant vexationem, & contemplativi  
viuunt